



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput III. a Augustinus super Exodo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

quod reliquerant, redierunt. Verum cilicium induebant. Concil. Tolet. 1. can. 2. ubi dum Patres describunt publicam penitentiam agentem, ajunt: Qui sub cilicio divino fuerit reconciliatus altario. Ubi aliqui malè legunt, sub Concilio, ut notavit Gibalinus de clausura regular. disquis. 3. cap. 2. §. 8.

c *Esca. & potibus.*) Alia enim dulcia, aliaque potiones prohibentur solennem penitentiam peragentibus, cap. in capite, 50. dist. cap. admonere 33. quest. 2.

d *Thoro.*) Nam similes penitentes non solum matrimonium de novo contrahere, verum etiam contracto uti prohibebantur, ut probavi in cap. 9. Concil. Illiberit.

3. e *Gladio.*) Penitentes enim solenniter armis cingi vetabatur, cap. admonere, 33. q. 2. nec ulterius illa ferre licebat, nisi de consilio Episcoporum pro defendenda justitia, cap. falsas penitencias, de penit. dist. 5. Synodus apud Wormaciam tempore Ludovici Imper. ut refert Hincmarus Rhenorum Episcopus, ibi: *Quicumque propria uxore delevit, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit uxorem, armis depositis publicam agat penitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur.* Sigebertus in Chron.

Ludovicus Imperator à suis desertus, ac proditus, & in potestatem filiorum redactus, Episcoporum judicio arma deposuit, & ad agendam penitentiam inclusus est.

f *Te, etaque liberando.*) Hæc verba non sunt accipienda conjunctivè, sed disjunctivè, vel alternativè, & post Felin. in præsentii docuerunt Cajetan. 2. 2. q. 64. art. 7. Covarr. in Clem. si furiosus, 3. part. §. unic. n. 6. plures relati à Barbof. in præsentii, Gibalin. de irregul. cap. 4. regul. 3. consuet. 3. difficult. 4. ita ut sensus sit, non esse te homicidam, si res, vel tua liberando latronem, quem aliter capere, aut impedire non poteras, occidisti; nam si conjunctim capienda essent hæc verba, nec licita esset occisio furis, nisi ad se, & sua simul liberandum; nec etiam pro defensione suorum bonorum dumtaxat ei liceret occidere injustum invasorem abique culpa, sed neque ad defensionem vitæ, nisi illa cum bonorum externorum conservatione conjuncta esset: etsi textum hunc aliter accipiat Petrus Navarta lib. 2. de restit. cap. 3. n. 406.

g *Penitentiam agat.*) Quia homicidium non omnino inculpabile fuit, quia etsi pro defensione sua, vel suorum bonorum commissum esset, aliter tamen Clericus sibi consulere poterat: docet Gibalinus supra, & dicimus in cap. seg.

## CAPUT III.

## Augustinus super Exodo.

SI perfodiens inventus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum. Si autem oriatur sol super eum, reus erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur: si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc est enim, quod ait: Si oriatur super eum sol, &c. quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset; & ideo non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus secularibus (quibus ista est antiquior) invenitur, impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem si se telo defenderit; jam enim plus est quam fur.

## NOTÆ.

1. a *Augustinus.*) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 5. & apud Carnotensem p. 10. Decreti, cap. 53. reperiturque textus hic inter opera Divi Augustini in quest. 54. in Exodum, ubi exponit legem latam in cap. 22. Exodi, ejusque rationem assignat, & ita priora verba sunt ipsius Exodi, cætera verò Magni Doctoris Augustini.
2. b *Fuerit fur.*) Nocte exponit, ac supplet Glossa in præsentii; sed superfluo, cum enim dicatur fur à furvo, hoc est nigro, facilè deducitur furem propriè dici, qui noctu furatur. Varro lib. 14. rerum divinar. Facit altercatio Hadriani, & Epicteti in illis verbis: *Quid est nox? Laboranti requies, grassanti lucrum: per obscuras enim noctes facilius furantur.*
3. c *Reus erit.*) Hucusque verba Exodi, licet aliter legantur in ipsa sacra pagina, videlicet: *Si effringens fur domum, sive effodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.*
4. d *Legibus secularibus.*) Antiquas leges vocat D. Augustinus 12. Tabul. ubi tabul. 2. de fure nocturno, & diurno ita cavebatur: *SI NOX FURTUM*

FAXIT, SIM ALIQUIS OCCISIT, JURE CÆSUS EST: SI SE Telo defensint, quiritato, ENDOQUE PLORATO: Post deinde SI CÆSI ESCINT, se fraude esto. Ad quas respexerunt Macrobius lib. 1. saturn. cap. 4. ibi: *Non esse abs re puto hoc loco id quoque admonere, quod Decemviri in 12. Tabulis inusitatissimè nox pro noctu dixerunt. Verba hæc sunt: Si nox furtum factum sit, sim aliquis occisit, jure casus esto. In quibus verbis id etiam notandum est, quod ab eo quod est is, non cum, sed sim dixerunt. Cicero pro Milone, non longè à principio, ibi: *Tabula nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit, interficere impunè voluerunt. Senec. lib. 10. controv. cap. ult. in fine. Lex, qua nocturnum furem occidi jubet, quoquo modo jubet: non de damnato tantum, sed de fure loquitur. Aulus Gel. lib. 2. noctium Attic. Decemviri nostri qui post reges exactos leges, quibus populus Roman. uteretur in 12. Tabulis scripserunt, furem qui manifesto furto prehensus, esset, tunc demum occidi permiserunt: si aut cum faceret furtum nox esset, aut interdum telo se cum prehenderetur defenderet. Quamvis de usu hujus legis decemvitalis dubitaverit Pompon. ut constat ex fragmento Ulpiani in collectione legum Mosaic. tit. 7. de furis, ibi: *Si quis furem nocturnum occiderit, quem lex 12. Tabul.***

omni

omni modo permittit occidere; aut diurnum, quem  
 aqne lex permittit sed ita demum si se telo defendat  
 videamus an lege Aquilia teneatur? Et Pomponius  
 dubitat, nam hac lex non fit in usu. Et si quis noctu  
 furem occiderit, non dubitamus quin lege Aquilia  
 non teneatur: sin autem cum possit apprehendere, ma-  
 luit occidere, magis est ut injuriā fecisse videatur.  
 Ergo etiam lege Cornelia tenebitur. Idem Solon, &  
 Platoni placuisse probat Cujac. lib. 19. observ.  
 cap. 12. & idem constituerunt Longobardi lib. 1.  
 tit. de homine in curia aliena noctis tempore in-  
 vento, ibi: Si noctis tempore homo liber in curia ali-  
 ena inventus fuerit, non dans manus ad ligandum,  
 occidatur. Et a parentibus non requiratur: quod si  
 manus dederit ad ligandum, & ligatus fuerit, debet  
 pro se solvere octoginta solidos, quia non convenit ra-  
 tioni, ut homo noctis tempore in curia aliena silentio  
 absconditū ingrediatur, sed qualemcumque utilita-  
 tem habuerit, prius quam intret, clamet. Wifigothi  
 lib. 6. tit. 2. ibi: Fur nocturnus captus in furto, dum  
 rem furivam secum portare conatur, si fuerit occi-  
 sus, non vindicetur. Et in l. antecedenti, ibi: Fur qui  
 per diem se gladio defendere voluerit si fuerit occi-  
 sus, mors ejus nullatenus requiratur. Idem cautum  
 fuit in Capitul. Caroli Magni, lib. 5. cap. 191. in le-  
 gibus Fixionum tit. 5. Neapolit. lib. 1. tit. 13. &  
 de Moscovitis idem tradit Sigismundus de rebus  
 Moscovit. De Lacedæmonis legem similem non  
 habemus, quia apud eos furta permittebantur, ut  
 refertur Gel. lib. 11. noē. cap. final. Cælius Rho-  
 diginus lib. 3. antiq. lect. cap. 13. notavit Petrus  
 Gregor. lib. 37. syntag. cap. 1.

e Quibus ista est antiquior. Nam nulla lex di-  
 vinā scripta antiquior, cap. legimus 38. dist. ut  
 pote lex à Domino data in principio mundi, ut  
 considerat Grotius de jure belli lib. 1. cap. 1. num. 16.  
 f. Telo. ) Tell' appellatione quid in præfenti acci-  
 piatur, exposuit Gajus in l. si pignore 54. §. fu-  
 rem, ff. de furtis, l. si calvitur 233. §. telum, ff. de  
 P. S. & Justin. in §. item lex, Instit. de public.  
 judic. ibi: Telum autem (ut Cajus nosse ex inter-  
 pretatione legum 12. Tabularum scriptum reliquit)  
 vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur.  
 Notavit Cujac. lib. 11. observ. cap. 17. Et licet  
 vulgò telum accipiatur pro eo, quod ab arcu  
 mittitur; in præfenti tamen accipitur pro eo,  
 quod manu mittitur, sive sit lapis, sive ferrum,  
 sive lancea, & generaliter pro omni, quo lædi  
 homo potest, l. hi qui 11. §. 1. ff. ad leg. Jul. de vi pu-  
 blica, Paulus lib. 5. sent. tit. 3. §. hi qui, Virgil. lib. 9.  
 Æneid.

Ecce aliud summā telum librabat ab arce.

Et lib. 12.

Fixumque latronis  
 Impavidus frangit telum.

### COMMENTARIUM.

6. **E**X hoc textu sequens communiter deducitur  
 assertio: Fur nocturnus impunè occiditur, di-  
 urnus verò si telo defendat. Probant eam textus  
 in cap. 2. hoc titul. cap. 3. de sent. excom. cap. dilecto,  
 eodem tit. in 6. cap. si fur 13. q. 2. Clement. pastorali-  
 tis, §. ceterum, de re judic. D. Thom. 2. 2. q. 63. art.  
 3. l. sed & si, l. scientiam, §. cum aliter, l. itaque,  
 §. lex, ff. ad leg. Aquil. l. furem, ff. ad leg. Cornel.  
 de sicariis, l. 4. l. licet, C. eod. tit. l. 1. C. de furi-  
 bus balneariis, l. 1. C. unde vi. l. si pignore 54. §. fu-  
 rem, ff. de furtis, l. 7. §. ult. ff. de eo quod metus caus.  
 pupillo, §. si quis rivus, ff. de novi oper. nunt. Con-

sonant de jure Regio lex 3. tit. 8. partis. 7. lex 4.  
 tit. 13. lib. 8. ordin. lex 1. tit. 17. lib. 4. fori, lex 4.  
 tit. 23. lib. 8. recopil. Illustrant ultra congestos à  
 Barbosa in præfenti, & Cenedo Collect. 6. ad De-  
 cretal. Cujac. lib. 15. obs. cap. 19. & lib. 19. cap. 12.  
 Olvald. lib. 17. Donel. cap. 2. littera O. D. Joannes  
 Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. sect. 1. Forner.  
 lib. 1. secl. cap. 22. Grotius de jure belli lib. 1. c. 3.  
 §. 2. in notis, Carena de offic. Inquisit. 2. p. lib. 12.  
 ex num. 269. Cujac. lib. 14. obs. cap. 15. Fornerius  
 lib. 1. secl. cap. 22. Solorzanus tom. 1. de jure Indi-  
 ar. lib. 2. cap. 15. num. 37. Theophilus tom. 4. lib.  
 3. sect. 3. cap. 6. fol. 393. Carbo lib. de pacif. inimic.  
 Jac. Gochoff. in quatuor fontibus, in notis ad ta-  
 bul. 2. leg. 12. Tabul. Gibalinus de irregul. c. 4. con-  
 sectar. 3. difficult. 4. Bassamon in notis ad can. 55.  
 Divi Basilii ad Amphiloeb. Becanus in annalog. cap.  
 18. Petrus Pitheus in notis ad tit. 7. collat. legum  
 Mosaic. Cujac. in l. 7. ff. de eo quod metus caus. Sa-  
 las in notis ad Petronium, in satyr. fol. 36. Petrus  
 Herodius lib. 8. Pandect. tit. 3. cap. 33. Diana 4. p.  
 tract. 4. resol. 7. Anr. Matthæus de crimin. ad lib.  
 48. tit. 5. Prado tom. 2. Theolog. moral. cap. 20. q. 3.  
 Gibalinus tom. 2. de negot. lib. 6. cap. 7. art. 1. reg.  
 3. num. 19. Bronch. cent. 4. enatioph. assert. 82.  
 Cujac. lib. 19. observ. cap. 12.

Sed pro dubitandi ratione in præfentem asser-  
 tionem ita insurgo. Nulli licet cujusvis causæ præ-  
 textu se vindicare, aut jus in propria causâ dicere, natur  
 l. nullus 14. C. de judicis, adeo ut nec rem pro-  
 priam liceat propria auctoritate occupare, l. ex-  
 assertio.

13. ff. quod metus causâ: immò & eam occupa-  
 re, l. 12. §. ult. ff. eodem  
 tit. eamque amittit, l. 7. C. unde vi, c. ad hoc. 63. 16.  
 q. 1. Cassiodor. lib. 4. variar. cap. 10. ibi: Legum  
 reperta est via, & sacra reverentia, ut nihil ma-  
 nu, nihil proprio agatur impulsu. Ergo furem no-  
 cturnum nullo modo licet privata auctoritate occi-  
 dere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si  
 liceret furem nocturnum occidere, & liceret etiam  
 & diurnum, cum non minus iste, quàm ille auferat  
 bona; & æquale damnum consequatur quis ex om-  
 missione bonorum, seu pecuniæ, quàm ex vitæ pri-  
 vatione; siquidem pecunia altera vita dicitur, Sto-  
 beus in sermon. pag. 89. ibi: Argentum, & anima,  
 & sanguis est mortalibus. Martialis lib. 9. epigr. 74.

Dixerat Astrologus periturum te citò, Cinna,  
 Nec, puto, mentitus dixerat ille mihi.  
 Nam tu dum metus, ne quid post fata relinques,  
 Hansisti patrias luxuriosus opes.

Bis quartum decies non toto tabuit anno:

Dic mihi, non hoc est, Cinna perire citò:

Unde dicebat Salomon, melius esse mori, quàm  
 egere; & majorem pœnam esse privationem bono-  
 rum, quàm mortem, ex l. ult. C. ad leg. Jul. de  
 adult. docent Baldus in l. vita, C. de jure fisci,  
 Tiraq. de nobilit. cap. 25. Ergo si licet occidere fu-  
 rem nocturnum ob defensionem vitæ, & diurnum  
 occidere licebit ob bonorum defensionem. Deinde  
 difficilis est præfens textus dum in eo sanctus Aug-  
 gust. affirmat, licere impunè occidere furem no-  
 cturnum quoquo modo, juxta sæculares leges,  
 cum juxta leges ipsas desideretur, ut cum clamo-  
 re testificetur, qui furem tam nocturnum, quàm  
 diurnum occidit, l. itaque, ff. ad leg. Aquil. de  
 qua proclamatione latè egerunt Suarez ad leg. A-  
 quil. dist. sectione 1. D. Laurent. Ramirez de Prado  
 in tessera legum, in l. 7. ff. de eo quod metus caus.  
 Igitur non factâ proclamatione non licet furem  
 diurnum, vel nocturnum occidere.

Qua

8. *Quotuplex sit homicidium.*

Qua dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, homicidium esse voluntarium, casuale, aut necessarium. Voluntarium est, quod cum animi meditatione committitur, quod semper injuriosum est, de quo agitur in cap. 1. hoc titulo, l. 1. & ferè per totum ff. ad leg. Aquil. ubi D. Joannes Suarez. Casuale, seu involuntarium est, quod fortuito admittitur, de quo agemus in cap. labor, infra, hoc titulo. Necessarium duplex est; aliud quod lege jubente, seu permittente committitur, ut cum quis transfugam occidit, l. 2. in fine, ff. ad leg. Cornel. de sicariis: vel cum iuste Principis auctoritate, iudicisve committitur, quia potestas gladii data est, ut morte nocentium Magistratus pacem cæteris procurent, cap. miles, cum sequent. cap. non frustra, cap. si homicidium 23. q. 5. l. congruit 13. ff. de offic. Præsid. Aliud, quod urgente necessitate ob vitæ, bonorumque conservationem committitur, de quo in præfenti agendum est: de aliis in cap. de cætero, agemus.

9. *Traditur ratio decidendi.*

His suppositis ratio præfentis assertionis, in qua docetur, impunè licere furem nocturnum occidere, provenit ex vulgari principio, quo docetur, cuilibet licere vim vi repellere, & se defendere, etiamsi exinde sequatur mors aggressoris, l. 1. §. vim vi, ff. de vi & vi armata, leg. scientiam, §. si cum alter, ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. cum arietes, ff. si quadrupes pauperiem. Facit Cicero in orat. pro Milone, ibi: Est enim hæc, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non dicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non institui, sed imbuti sumus, ut si in vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidissemus, omnis honesta ratio esset explenda salutis. Et Apollodorus lib. 11. de Lino agens ait: Ad Thebas cum venisset, civis que factus esset, ibi interit ab Hercule percussus cithara; nam cum Linus ferisset Herulem, iratus Hercules mortem ei intulit, reusque à nonnullis factus patrate cadis, legit in iudicio legem Radhamanti, quæ insons pronuntiatur, si quis nocuerit ei, qui vim prior intulerit. Illustrant latè Mancinus genialium cent. 1. cap. 11. & 12. Mela miscel. cap. 3. Emmanuel Suarez lib. 1. obs. cap. 1. Witenbach disp. 4. Solorzanus lib. 1. de jure Indiar. cap. 14. Connanus libr. 2. comment. cap. 4. Revardus libr. 1. var. cap. 1. Hunnius ad Treutl. volum. 1. disput. quæst. 20. Faber lib. 2. semestr. cap. 2. D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. sect. 2. cap. 1. numer. 1. Franzschiz exercit. 12. Avendanno lib. 2. de metu, cap. 45. Cevallos commun. q. 349. Ergo furem nocturnum ad nos venientem licet occidere ob defensionem propriæ vitæ; furem autem diurnum non licet occidere, nisi se telo defendat; nam quomodo apud divinam iustitiam liberi erunt, qui pro his rebustransitoris, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Quid enim amplius charum est, quàm vita hominis, cap. suscepimus, hoc tit. l. sancimus, de sacros. Eccles. Ovidius in Metamorph.

*O fortunatissima, propter hanc animam concede mihi*

*Tua cætera sumpen.*

Juvenalis satyr. 10.

*Da spatium vitæ, multos da Jupiter annos:*

*Hujus ab exemplo disces non parcererebus,*

*Et vitam ut redimas hostibus evadere,*

Idque Crisippus suo exemplo demonstravit; qui

cum eadem navi sese cum piratis versari cognovisset, omnia in mari projecit, ne ut illum spoliarent hi, cum quibus navigabat, eum precipitarent. Deinde ex præcepto Evangelico tenemur potius post tunicam relinquere pallium, & eorum sustinere iacturam, quàm pro conservandis vilibus, & transitoris rebust, tam acriter exardescere, ut ex D. Paulo refertur in cap. 1. 23. quæst. 3. cap. suscepimus 23. de homicid. Unde rectè juxta legem Moysi datam, & antiquas leges diversarum gentium Sanctus August. in præfenti docuit, impunè occidi posse furem nocturnum, diurnum verò non aliter, quàm si telo se defendat.

Superest ut rationem differentiæ assignemus, 10. quare liceat furem nocturnum occidere quoquo modo; diurnum verò ita demùm, si telo se defendat. Et communiter ab antiquioribus in præfenti ea assignatur, quia videlicet non constat, inter an fur nocturnus veniat tantùm ad furandum, an furem etiam ad occidendum: & quia præsumitur ad utrumque venire, occidi potest; diurnus autem cum cognoscatur, quod solum ad furandum venit, non potest occidi. Verùm hæc communis ratio facilè refellitur; nam ob similem metum, seu ambiguitatem non debet quis homicidium perpetrare. Verè enim dictum est à Cicerone lib. 1. de officiis: Plurimas injurias à metu proficisci. Et Clearchus apud Xenophontem agebat: Multos ego novi, qui calumniâ adducti, aut suspicione, dum metuunt alios, & prevenire malunt quàm perpetri, atrocissimis malis eos affecerunt, qui nihil tale facturi fuerant, aut neque cogitaverant quidem. Cato in oratione pro Rhodensibus, ibi: Quid illa dicimus voluisse facere? id nos priores facere occupavimus. Insignis extat sententia apud Gellium his verbis: Gladiatori composito ad pugnandum, pugna hæc proposita fors est; aut occidere si occupaverit; aut occumbere, si cessaverit. Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam nisi feceris, pati possis. Cicero apud Quintilianum lib. 5. de relect. ibi: Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse dicat, ne ipse posterius occideretur. Unde de his dicebat Livius lib. 3. Cavendo ne mutant homines, metuendos ultra se efficiunt. Unde omisâ hac communi ratione, veriùs dicendum est, legumatores supponere levium rerum causâ furem interfici non posse, sed si ipse in periculum vitæ in adducat, tunc mihi licere à me avertere periculum, etiam cum damno vitæ alienæ; nec mihi opponi posse, quod me in discrimen adduxerim, dum rem propriam cupio retinere, aut occupatam extorquere, aut furem capere; nam in his omnibus nihil mihi potest imputari, qui verfer in actu licito; nec cuique injuriam faciam, cum jure meo utar. Discriminis ergo diurni, & nocturni furis ratio in eo consistit, quòd noctu vix sit copia testium adhibendorum; atque ideo si fur occisus reperiar, facilis credatur ei, qui à se vitæ tuendæ causâ dicat furem interemptum repertum, etiam cum aliquo instrumento, quo nocere possit. Undè præsumptio est adversus furem defendisse se telo. Quare quod in præfenti dicitur, furem nocturnum impunè occidi, intelligimus si parcere ei sine periculo suo dominus dominus non potuit, l. furem 10. ff. ad leg. Corn. de sicar. nimirum rem servando, ut docuerunt Grotius

de jure belli lib. 2. cap. 1. num. 12. Gibalinus de irregul. cap. 4. num. 4. Alii autem differentia rationem assignant inter furem nocturnum, & divinum ex eo, quia delicta noctu admittuntur, flagitiosa, ac majori poenâ digna censentur. Unde fures nocturnos grassatores dixerunt Gellius lib. 2. noct. cap. 1. Horatius ibi:

*Videntur homines surgunt de nocte latrones.*

Facit Salomonis proverbium: *Qui male agit, odit lucem*, repetitum in cap. consuluit, de offic. de leg. cap. unic. ut Eccles. benef. cap. Anastasius, 19. dist. cap. clericus, 81. dist. in summano tit 3 part. 4. ibi: *E por esso dize Salomon, que quien mal hace, aborrece la luz, porque los homes no sepan las sus obras: y por essa razon pusieron los sabios que hizieron las leyes a las vegadas major pena a los que pecan en encubierto, que a los que lo hazen paladinamente.* Illustrat Salmut. ad Pancirol. lib. 1. tit. 44.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, nam inter alias exceptiones ipsius regulae, quas refert, exponitque Vultejus in lib. 1. Cod. quando liceat unicuique sine iudice se vindicare, prima, præcipuaque est quando agitur de defensione propria, quia tunc servato moderamine inculpatae tutelæ, licet aggressorem occidere, cum eo casu non tam vindicatio, quam defensio intenteretur. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, pro cuius expositione sciendum est, dubium esse apud Doctores, an sicut ob vitæ defensionem furem, seu aliàs aggressorem occidere permittitur, similiter ad servanda bona propria liceat? Et sunt plures, qui negant, moti auctoritate texus in cap. 2. hoc tit. in illis verbis: *Te tuasq; liberando*; & præsentis textus, ubi docetur furem diurnum non aliter occidi posse, quam si telo se defendat: & textus in cap. suscepimus, hoc tit. in illis verbis: *Satis fuisse post pallium relinquere tunicam, & temporalium jacturam pati, quam pro vilibus ita exardescere.* Et c. significasti, el 2. hoc tit. ubi presbyter eo quod latronem res Ecclesiæ diripientem fossorio percussit, declaratur irregularis, si vulnus lethale fuit. Et Grotius d. c. 1. n. 13. asserit laxatam esse in hac parte legis Evangelicæ disciplinam, & juxta communem Theologorum, & Jurisconsultorum sententiam licere furem occidere rerum defendendarum causâ, etiam extra eos fines, in quibus lex Moysis, & Romana id permittit. Sed verius dicendum est, licere furem occidere, quando omnia bona, vel majorem eorum partem aufert, ita ut quis inde ad magnam egestatem reducatur; nam bona temporalia quodam modo vitæ comparantur, & ad illam conservandam summè necessaria sunt ut traditur in l. advocati in fine, Cod. de advoc. divers. jud. Facit elegans textus in l. illicitas §. 6. Nesselmus ff. de offic. Præsid. junctis traditis à Tiraquel, in l. si unquam, verbo Bona, a num. 1. Cod. de revocand. donat. quam sententiam tenent Covarr. in Clement. si furiosus, 3. part. §. unic. num. 6. hoc tit. Sotus de justit. lib. 5. art. 8. Panormit. in cap. 2. hoc tit. Lefsius lib. 2. de just. cap. 9. dub. 11. Gibalinus dist. cap. 4. de irregul. consuet. 3. difficult. 4. Diana 4. part. tract. 4. resol. 4. Nec favent contrariæ sententiæ textus in cap. 2. hoc tit. cujus veram interpretationem in ejus notis adduxi. Nec etiam præsens textus, in quo expressè docetur, furem diurnum occidere licere, si telo se defendat, nolitque bona restituere. Unde deducitur, licere domino furem occidere quando aliter res proprias recuperare non valet. Nec etiam obstat textus in dist.

D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

cap. suscepimus hoc tit. Nam respondendum est, homicidium de quo in ejus specie, non fuisse factum in puram defensionem: quod probatur primo, quia clerici illi ligaverunt latrones, qui ad furandum venerant; unde apparet, facilius potuisse eos liberos, ac vacuos dimittere sine ullo periculo rerum, ac personarum. Secundo quia ut Glossa ibi notavit, monachus, qui illos occidit, nulla necessitate coactus id fecit; siquidem potuit ipse fugere prius quam illi à vinculis solverentur. Nec etiam obstat textus in d. cap. significasti: nam respondetur, in ejus casu percussorem minimè necessariam fuisse; sufficiebat enim clamor; quandoquidem statim adfuerunt parochiani, qui latronem illum cohibuerunt, & occiderunt, ut post Suarium & alios docuit Gibalinus dist. cap. 4. consuet. 3. difficult. 4. aliàs si alio modo sacerdos se defendere nequiret, justè occideret latronem; ideoque Hildebertus Cenoman Episcopus epist. 60. præfatus non expedire sacerdoti latronem, à quo invaditur, occidere, subdit: *Tamen innoxium fore sacerdotem, si latronem occidat, cum aliter se defendere nequiret.* Nec obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis; nam licet Grotius dist. lib. 2. de jure belli, cap. 1. num. 12. existimaverit legem 12. Tabul. tam in fure nocturno, quam diurno exigere, ut occisor cum clamore id testificetur, motus auctoritate Gaj in leg. 4. tit. 1. ff. ad legem Aquil. verius tamen est, legem 12. Tabularum furem noctu deprehensum occidere permisisse simpliciter, ut constat ex verbis supra relatis, seu omni modo, ut Ulpianus supra in notis transcriptus ait; vel quoquo modo, ut Div. Augustinus in præfenti, & Seneca & Cicero supra relati ajunt, qui omnino excludunt necessitatem clamoris. Quare I. Gothofred. in probationibus dictæ legis 12. Tabular. existimat Tribonianismum manifestum adesse in dist. 1. 4. cum lex Decemviralis tantum in fure nocturno petierit clamorem, seu testificationem. Unde rectè Div. Augustinus in præfenti referendo sententiam ipsius legis Decemviralis dixit, juxta ipsam licere furem nocturnum occidere quoquo modo, id est et si absque clamore non testificetur. Quâ etiam voce quoquo modo; ut fuerunt Cicero, & Seneca supra relati.

Sed adhuc supra traditæ assertioni obstat textus in cap. de his §. 50. dist. ubi aperte docetur, Exponit clericum, qui se defendendo paganum occidit, tur cap. multum sibi consulere si à sacerdotali officio se abstineat: ergo quia non licet etiam ob propriam defensionem furem occidere. Cui difficultati Archid. & Turriser. ibi, Plovius de irregul. num. 11. asseruerunt, textum illum esse accipiendum de consilio, non verò de præcepto, juxta illa verba: *Multum sibi consulit.* Sed hæc solutio sustineri non potest, quia aperte repugnat verbis illis ejusdem textus, *irreprehensibiliter, indebitè, & damnabiliter*, quibus manifestè convincitur, Nicolaum Papam non consulendo, sed potius præcipiendo in eo textu respondere. Nec obstat verbum illud, *consulit*; nam sapissimè consultatur id, ad cujus observantiam necessariò quis tenetur, cap. si enim 28 quest. 1. Quare hac solutione omisâ verius dicendum est cum Glossa finali in eo textu, quam sequitur Suarez de censur. disputat. 46. section. 1. num. 3. in eo casu clericum irregularitatem incurrisse, quia defensio non fuit cum moderamine inculpatae tutelæ, siquidem unus à pluribus occisus fuit; & suadetur, homicidium, de quo ibi, injuriosum fuisse, ex illis verbis

Y

bis

bis: Si postea per penitentiam emendati. Et ibi: *Damnabiliter*. Quæ verba ostendunt, occisorem peccasse; peccare autem non potuit nisi excedendo defensionis modum. Quo modo etiam accipiendum est Concil. Trid. sess. 14. de reform. p. 7. in illis verbis: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quare quodam modo dispensatio jure debeatur.* &c. Necessariò enim textus hic intelligendus est de homicidio culpabili, quando videlicet defensio non est pura, sed transit in aggressionem; quod facile, & sæpius contingit. Unde apud Gentiles homicidium necessarium expiatur per manuum abluionem: probat Mornacius ad l. 3. ff. de just. & jure: ideoque affirmant Patres, in eo canone dispensationem quodam modo jure deberi, quia homicidium non voluntarium simpliciter, sed necessarium, etsi non servato moderamine inculpatae tutelæ, admissum fuit. De eodem etiam homicidio ob defensionem etsi non putam, perpetrato, accipiendi sunt textus in cap. si quis viduam, 50. dist. in illis verbis: *Similiter si homicidium, aut factò, aut praecepto, aut concilio, aut defensione.* Et cap. 2. in fine, de clericis pugnant. in duel. quo modo autem moderamen inculpatae tutelæ consideretur circa modum, tempus, causam, factum, exponunt P. Caballus de homicid. numer. 93. Capola consil. cri-

min. 41. Jul. Clarus lib. 5. sentent. 8. homicidium, num. 34. Guazinus in defension. reor. cap. 4. noviter Basilio decis. 16. criminali.

Ex supra traditis lucem accipit textus in can. 55. epist. D. Basilii ad Amphiloeb. in illis verbis: *Qui se latronibus adversos, obiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, ab omni communione arcentur, si sint autem clerici, à gradu deponuntur; quicumque enim, inquit, gladium accepit, gladio peribit.* Cùm enim in eo canone agat D. Basilius de illis, qui se latronibus oppoluerunt sponte, non verò ab eis in necessitate adducti, homicidium perpetrarunt; ideo ut veris homicidii poenitentia imponitur, aliàs si homicidium contingeret juxta supra tradita, cùm fur nocturnus erat, vel diurnus, & telo se defendebat, poenitentia non imponeretur. Eodem etiam modo intelligendus est textus in cap. quicumque 33. 23. quæst. 8. ubi D. Augustinus ita ait: *Qui verò sine aliqua publica administratione, maleficium, furem, sacrilegum, & adulterum, vel quemcumque criminiosum interfecerit, aut truncaverit, vel membris debilitaverit, vel homicida judicabitur.* Ubi D. Augustinus agit de eo, qui furem occidit privata autoritate, non pro defensione propria, sed potius ipsum aggressiõnem, nulla necessitate coactus.

## CAPUT IV.

## Hieronymus.

Cum juramento pollicitus est Herodes saltatrici dari quodcumque postularet ab eo: si ob jusjurandum se fecisse dicit, si patris, matrisve interitum postulasset, facturus esset, an non? Quod ergo in suis repudiaturus fuit, continere debuit in Propheta.

## NOTÆ.

I. <sup>a</sup> Hieronymus. ) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 6. & apud Burchardum lib. 12. Decreti, cap. 16. Carnotensem part. 12. cap. 73. ubi rectè adjicitur in cap. 14. Matthæi; nam cùm divus Hieronymus exponeret Evangelium ipsum Matthæi cap. 14. ubi refertur juramentum præstitum ab Herode, & adimpletum

in nece D. Joannis Baptiste, verba in præsentibus transcripta adducit, ex quibus communiter repetentes in præsentibus deducunt, sub generali promissione, quantumvis jurata, non venire illicitum: quod axioma variis auctoritatibus firmat Gratianus caus. 22. quæst. 41. per tot. & latè illustravit Præceptor Petrus Bajo-Arroyo in repetit. ad textum in cap. Quintavallis, de jurejur. ex quo commentarium hujus textus petendum est.

## CAPUT V.

## Ex Concilio a Guarmaciensi.

SI aliquis causam explendæ libidinis vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non posset generare, aut concipere, ut homicida teneatur.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> Guarmaciensi. ) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. Burchardus verò lib. 17. Decreti, cap. 57. citat verba hæc ex Concilio Vornat. can. 30. de quo Concilio nonnulla adduxi in cap. 1. de censib. cap. 1. de divort. etiam extat textus hic in poenit. Romano, tit. 1. cap. 3.

<sup>b</sup> Libidinis. ) De poculo à marito explendæ

libidinis causâ dato agemus infra.

<sup>c</sup> Odii. ) Sunt etiam pocula odii, de quibus habes duas declamationes post institutiones Quintilianiani 14. & 15.

<sup>d</sup> Soboles nascatur. ) Hæc verba ut diversum casum continent ac antecedentia, intelligi posse credo de illo maleficii genere, quo partus ultra legitimum & naturale tempus protendebatur, cujus impiæ pravitatis à saga perpetratae habemus testimonium apud Apuleum lib. 4.